



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 2. Hæretici, qui aut veram carnem, aut certè à muliere esse
assumptam negaverunt, recensentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Deum negavi, sed hominem. Interrogatus quem deum hominem? Christum, inquit, hominem negavi. Hinc predicanda falsa huius opinionis occasio accepit, ut & Theodoritiani, quorum ille auctor extitit, qui nudum hominem esse Christum asserunt, atque ex humano semine genitum; quod tamen secum dum non tenuit Theodorus. Quod

Prob. 1. Ex Tertulliani libro de præscript. c. 53, ubi hæc leguntur: *Accedit his Theodorus hæreticus Byzantius: qui posteaquam Christi pro nomine comprehensus negavit, in Christum blasphemare non destitit. Doctrinam enim introduxit, qua Christum hominem tantummodo diceret, Deum autem illum negaret: ex Spiritu quidem sancto natum ex virgine, sed hominem solitarium atque nudum, nulla aliapraeter ceteris, nisi sola iustitie auctoritate.* 2. Ex Theodoro lib. 2. hæ. fab. c. 6. ubi scribit Theodotum Byzantium idem de Christo sensisse, quod sensit Attemon, qui, ut narrat idem Auctor c. 5. *Domini Jesum Christum solum hominem esse dicebat, natum ex virgine, Prophetis autem virtute præstantiorem.* Huius autem Attemonis & ejus hæreseos meminit Eusebius lib. 5. hist. Eccl. c. 28. & ultimo.

Porro Theodorus Byzantius, ut narrat S. Epiphanius loco citato, *Cum probro omnium appetitus (ob negatam fidem) pudorem sustinere non posset, relicta patria profugus Romam contendit, & illic habitavit; sed & Roma à quodam agnitus, in eandem infamiam incidit.* Quare cum ad sui defensionem hæresim suam commentus esset, & palam propugnaret, à Victore Papa abdicatus & excommunicatus est, teste Theodoro lib. 2. hæ. fab. c. 6. & ante eum Eusebio lib. 6. hist. Eccl. c. 28.

6. Theodorus alter, artificio argentarius, teste Theodoro lib. 2. hæ. fab. c. 7. Hic Theodotum coriarium secutus est, ut expressè dicitur apud Tertullianum lib. de præscr. c. 53. ubi hæc leguntur: *Alter post hunc (Theodotum coriarium) Theodorus hæreticus erupit, qui & ipse introduxit alteram sectam, & ipsum hominem Christum tantummodo dicit ex Spiritu sancto, ex Virgine Maria conceptum pariter & natum, sed hunc inferiorem esse, quam Melchisedech, eo quod dictum sit de Christo: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Hic autem Theodorus parens fuit Melchisedechianorum, qui ut de illis narrat Epiphanius lib. 2. adversus hæ. hæ. 55. *Melchisedechum ... cum primis celebrant, & præclaram quandam esse virtutem arbitrantur ... & ipso Christo majorem esse dicunt, imò & Christum ad ejus imaginem esse formatum, si Theodoro credimus loco citato.*

7. Paulus Samosatenus, Antiochenus Episcopus; de eo enim sic loquitur S. Athanasius in lib. de salutari adventu Filii Dei. *Deum ex virgine confitetur, Deum, Nazaret in lucem editum, & inde existendi primordium, regnique consecutum. Verbum tamen efficax è cælo, & sapientiam in eodem agnoscit, ac prædestinatione quidem ante secula fuisse putat, sed Nazareti primum extare coepisse.* Paulus igitur Christum volebat esse nudum hominem, nec concedebat esse Deum, nisi improprie & nuncupative tantum, propter Verbi divini in eo habitantis præsentiam, quo modo justus homo quilibet Deus esse & nuncupari potest. Quod confirmatur ex Philastro in catal. 2. n. 17. ubi de Paulo ait: *Hic Christum hominem justum, non Deum verum predicabat, judaizans potius, qui & circumcisionem docebat, unde & Zenobiam quandam Reginam in Oriente tunc temporis ipse docuit judaizare.* Philastro consonant Augustinus hæ. 44. & Theodoretus lib. 2. hæ. fab. c. 9. Vide plura de Paulo rom. 2.

8. Photinus, Sirmii unde oriundus erat, Episcopus. Nam de eo scribit hæc Epiphanius hæ. 71. *Hic Christum à principio negat extitisse, sed jam tunc à Maria Virgine initium accepisse, ac recentem esse.* Et superius: *Eadem cum Paulo Samosateno, imò atrociora quadam de Dei Filio mente concepit.* Quanam sint illa atrociora, non exponit Epiphanius, Phi-

lastrius verò scribit Photinum doctrinam Pauli secutum, in omnibus similiter prædicasse.

9. Euphratas Coloniensis Episcopus, qui anno 347. interfuit Synodo Sardicensi, à qua una cum Vincentio Capuano legatus in Orientem missus est ad Constantium Imperatorem, ut testantur S. Athanasius in epist. ad solitariam vitam agentes, & Theodoretus lib. 2. hist. Eccl. c. 9. Hic autem Euphratas, quòd Christum negaret Deum, adeoque purum hominem assereret, damnatus & exauctoratus est ab Episcoporum Concilio in ejus causa Colonia celebrato, à quo & in Euphrate locum suffectus est Severinus Episcopus, qui tunc aderat, vir planè sanctus & catholicus. Hæc porro Agrippinensis Synodus extat in tomo 2. Conciliorum pag. 615. ubi dicitur habita esse anno Christi 346. in quo mendum esse necesse est: fidem enim omnem superat, Episcopum à Concilio propter nefandam hæresim canonicè depositum, anno proximè sequenti in generali Synodo sedisse cum orthodoxis Episcopis, & pro illis legatione functum esse apud Imperatorem. Omnino itaque tenendum videtur, Coloniensem illam Synodum post Sardicensem celebratam fuisse ante Maximini Trevirensis obitum, puta anno 349. aut 350. quo anno Photinus Sirmii Episcopus, propter eandem hæresim ab orthodoxis Episcopis abscissus est.

ARTICULUS II.

Hæretici qui aut veram carnem, aut certè à muliere sumptam esse negarunt, recensentur.

Primus occurrit Saturninus, aliis Saturnilus, Antiochia quæ est ad Daphnem oriundus, Simonis Magi discipulus, de quo & ejus sectatoribus hæc scribit Philastrius in catal. 2. *Christum umbratiliiter apparuisse affirmant, non carnem hominis veram & animam accepisse, atque omnem æconomiam mysterii Incarnationis complevisse.* Consentiunt Epiphanius lib. 1. adv. hæ. hæ. 23. & Theodoretus lib. 1. hæ. fab. c. 4. ubi de Saturnilo sic ait: *Servatorem, & Dominum non solum dicit ingenitum, sed etiam incorporeum, & nulla forma præditum; visione autem potius, quam rei veritate hominibus apparuisse.* Scribit Epiphanius loco citato, quod ad Christum attinet, ejusdem impostoris esse dogma: *cum sola illum hominis figura atque effigie venisse, omniaque ab eo specie tenui perfectæ; cujusmodi sunt nasci, ambulare, videri, pati.*

Secundus venit Basilides, Simonis Magi & Saturni discipulus, de quo hæc narrat S. Epiphanius hæ. 24. *Etiam de Christo perinde sentit, specie tenuis duntaxat mortalibus apparuisse, quippe quod in eo cernebatur, nihil præter imaginem fuisse; neque verò aut hominem extitisse, aut carnem induisse* Ibidem porro huius histronis hanc refert fabulam: *Nimirum Christum Simonem (Cyraneum) cum is crucem portaret, in suam commutasse, ejusque vicissim induisse formam, itaque Simonem ad crucis supplicium suo loco tradidisse. Qui dum in cruce suffigitur, Jesum à nemine conspectum, eosque qui Simonem suffigerent deridentem ex adverso constituisse. Tum ad superos esse subvectum, cum pro sefigendum Simonem substituisset, nihilque adeò perpeßum in cælum evolasse.* Ejusdem fabulæ meminit Philastrius in catal. 2. c. 4.

Tertius est Valentinus, de quo hæc scribit Tertullianus lib. de præscrip. c. 49. *Christum autem (dicit) missum ab illo propatore, qui est Bythos. Hunc autem in substantia corporis nostri non fuisse, sed spirituale nescio quod corpus de cælo descendentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transivisse, nihil inde vel accipientem vel mutantem.* Valentinus Ptolomæum, Secundum, Heracleonem, Marcum & Colarbalum socios & ejusdem in Christum impietatis consortes adjungit eod. cap. juncto sequenti Tertullianus.

Valentino & ejus affectis accedit Cerdon, qui

Ter.

Tertulliano teste eodem lib. cap. 51. Introducit in-
tia duo, idest, duos deos, unum bonum & alterum
sævum. Bonum superiorem, sævum huius Mundi
Creatorem... superioris Dei Filium Christum venisse
tractat, hunc in substantia carnis negat, in phantaf-
mate solo fuisse pronunciat: nec omnino passum, sed
quasi passum; nec ex virgine natum, sed omnino nec
natum. Post hunc autem Cerdonem, discipulum ipsius
emerit Marcion, Ponticus genere, Episcopi filius;
propter stuprum cuiusdam virginis ab Ecclesia com-
municatione abiectus.... heresim Cerdonis approbare
conatus est; Et ut refert Philastrius in Catal. 2. c. 17.
Similiter unum Deum bonum, & unum malum an-
nunciavit, Christum putativè apparuisse, idest, quasi
per umbram, & passum eum fuisse umbratilitèr, non
tamen in vera carne credebatur.

Subsequitur Lucanus quidam nomine, Marcionis
sectator atque discipulus, qui eadem docuit quæ Mar-
cion & Cerdon docuerant: Lucanum verò Apelles,
discipulus pariter Marcionis. Hic autem Christum
neque in phantasmate (dicebat) fuisse sicut Marcion,
neque in substantia veri corporis, ut Evangelium do-
cet, sed in eo quod è superioribus partibus descende-
ret, ipso descensu fideream sibi carnem, ut aeream
contextuisse: hunc (Christum) in resurrectione singu-
lis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutata
fuissent, in ascensu reddidisse, & sic dispersis quibus-
que corporis sui partibus, in Cælo spiritum tantum
reddidisse.

His omnibus subijcimus Manichæos, sic dictos ab
auctore suo Manete, quorum insanos errores fusè
exponit Augustinus lib. de heres. num. 46. ubi hæc
inter alia de Manichæis narrat: Christum autem fuisse
affirmant, quem dicit nostra scriptura serpentem, à
quo illuminatos eos asserunt (Adam & Evam) ut co-
gnitionis oculos aperirent, & bonum malumque digno-
scerent; eumque Christum novissimis temporibus venisse
ad animas, non ad corpora, liberandas. Nec fuisse
in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludifi-
candis humanis sensibus præbuisse, ubi non solum mor-
tem, verum etiam resurrectionem mentiretur.

Agmen claudunt Priscillianistæ, de quibus sic lo-
quitur S. Leo epist. 93. ad Turribium cap. 4. Chri-
stum Dominum in vera hominis natura natum esse
non credunt, sed per quandam illusionem ostentata
videri volunt, quæ vera non fuerint; sequentes dog-
ma Cerdonis atque Marcionis, & cognatis suis Ma-
nichæis per omnia concordantes. Unde jejunabant die,
quo Christi Nativitas celebrabatur, sicut & die do-
minico, qui est dies resurrectionis Christi, ut ibi-
dem observat S. Leo.

ARTICULUS III.

De Noeto, Sabellio, & Ario.

§. I.

De Noeto & Sabellio.

NOETUS cum doceret unicam esse divinitatis
hypostasim, adeoque unicam esse in Deo
personam, quæ modò Pater, modò Filius, modò
Spiritus S. prout diversa obit munia, nuncupatur,
consequenter ausus est asserere Patrem incarnatum,
passum, & mortuum esse, ut refert Philastrius in
Catal. 3. cap. 6. Epiphanius heres. 57. num. 1. Au-
gustinus lib. de heres. n. 36. & Theodoretus lib. 3.
heres. fab. cap. 3. ubi Noeti & Noetianorum doctri-
nam sic exponit: Unum dicunt esse Deum (non so-
lum natura, sed etiam hypostasi) & Patrem omnium
opificem, latentem quidem quando voluerit, rursus au-
tem apparentem, quando placuerit, & eundem esse
invisibilem & videri, & genitum & ingentum, in-
genitum quidem ab initio, genitum autem quando na-
sci voluit ex virgine, impassibilem & immortalem;
rursus passibilem & mortalem. Cum enim esset impas-

sibilis, crucis, inquit, passionem sua sponte sustinuit.
Eum & Patrem & Filium nominant, prout usus exe-
gerit, vel hoc vel illud appellantes. Hinc Noetiani
Patripassiani nuncupati sunt.

2. Sabellius Noeto planè assensus est, si credimus
Philastrio in Catal. 3. cap. 7. ubi sic ait: Sabellius
post illum (Noetum) de Lybia discipulus ejus, si-
militudinem sui doctoris itidem secutus est & errorem,
unde (Noetiani) & Sabelliani postea sunt appellati,
qui & Patripassiani, & Praxiani à Praxeæ, & Her-
mogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Africa.
Philastrio consentit Theodoretus lib. 2. heres. fab.
cap. 10. ubi sic exponit heresim Sabellii: Dicebat
Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unam esse
hypostasim, & unam personam, quæ tria habet nomi-
na, & eundem aliquando quidem vocat ut Patrem,
aliquando autem ut Filium, aliquando verò ut Spi-
ritum Sanctum, & in veteri quidem testamento, ut
Patrem legem tulisse, in novo autem ut Filium homi-
nem factum esse: ut Spiritum autem sanctum ad A-
postolos venisse. Unde juxta Theodoretum, Sabellius
non propter distinctas hypostasim, vel etiam distin-
ctas energias, sed propter diversos tantum effectus,
diversa nomina Patris, & Filii, & Spiritus Sancti
Deo attribuebat: Patris quidem, cum tulit legem
veterem, quia legem ferre actus auctoritatis est; Fi-
lii, cum incarnatus est, quia gigni filiorum est; &
Spiritus Sancti, cum descendit in Apostolos, ut in
eis ignem charitatis accenderet, quia ignem accen-
dere immitti Spiritus proprium est.

Philastrio & Theodoro consonat Augustinus lib.
de heres. num. 41. ubi sic loquitur: Sabelliani ab
illo Noeto, quem supra memoravimus, defluxisse di-
cuntur. Nam & discipulum ejus quidam perhibent
fuisse Sabellium, sed qua causa duas hereses Epi-
phanii computet, nescio: cum fieri potuisse videa-
mus, ut fuerit Sabellius iste famosior, & ideo ex illo
celebrius hæc heresis nomen accepit.... Unde ergo
sit factum, ut Noetianos & Sabellianos non unius
heresis duo nomina, sed tanquam duas hereses supra-
dictus Episcopus poneret, liquido invenire non potuit
... Loco quippe isto, quo & non tam longè à Noe-
tiani Sabellianos commemorans: Sabelliani, inquit,
familia Noeto dogmatizantes, præter hoc quod di-
cunt Patrem non esse passum; Quomodo de Sabel-
liani intelligi potest, cum sic innoverit dicere Pa-
trem passum, ut Patripassiani, quam Sabelliani, cre-
brius nuncupentur: ... Quomodo possunt intelligi qui-
libet eorum Patrem passum fuisse non dicere, cum di-
cant eundem ipsum esse & Patrem, & Filium, &
Spiritus sanctum?

Augustinus igitur nullum inter Noeti dogma &
dogma Sabellii discrimen agnovit, sensitque unam
& eandem esse utriusque heresim, quæ Noetiana à
Noeto, Sabelliana à Sabellio nuncupata est; sicut
& Praxeana à Praxeæ, & Hermogeniana ab Her-
mogene fuit ab aliquibus vocitata. Contra Epipha-
nium insuper contendit, dici non posse Sabellium
in eo discrepasse à Noeto, quod hic, non ille, Pa-
trem passum esse diceret. Quod probat 1. ex eo
quod tam Sabelliani Patripassiani nuncupati fuerint,
quam Noetiani. Ex eo quod tam Sabelliani, quam
Noetiani, dixerint eundem ipsum esse & Patrem,
& Filium, & Spiritum Sanctum. Unde loco cita-
to vellicat Philastrium, quod Noetianos, & Sabel-
lianos sub duobus numeris tanquam duas hereses po-
suerit.

His non obstantibus, post Epiphanium dicere ma-
luimus in tract. de Trinit. disp. 1. art. 1. Sabellium
partim consensisse cum Noeto, partim dissensisse;
consensisse quidem, unicam asserendo Dei hyposta-
sim, seu personam per se subsistentem; dissensisse ve-
rò, in Deo præter unam hypostasim, & quandam
huius hypostasice formam, ponendo duas energias,
seu virtutes, non per se, sed in illa hypostasi & per
illam subsistentes: sicut in sole v. gr. schola Peripa-
tetica præter substantiam solarem per se existentem,
& ejus figuram orbicularem, admittit duas energias,
nem.